



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. II. An etiam accessoria rei depositæ habeant rationem Depositi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

QUÆSTIO II.

An cum re deposita censeantur etiam accessoria habere rationem depositi?

Ratio dubitandi est I. quia Depositum est contractus bonæ fidei: sed in contractibus bonæ fidei ex æquitate convenit extensionem fieri etiam ad accessoria, & rei conjuncta. II. Etiam accessoria suo tempore restitui debent, & peti possunt actione Depositii, quando petitur restitutio rei depositæ. l. 1. §. 24. ff. depositi. Imò, si accessoria perierunt culpâ latâ, vel dolo, Depositarii, peti eorum æstimatione potest: ergo & accessoria censeantur esse deposita. III. Accessoria rei commodatæ habentur pro Commodatis. l. 5. §. 13. ff. Commodati. licet eorum expressa mentio non sit facta: ergo etiam accessoria rei depositæ, licet eorum expressa mentio in contractu non sit facta, haberi debent pro Depositis.

Firmior tamen negandi ratio, vel potius fundamentum habetur ex dispositione Juris in textu l. 1. §. 5. ff. depositi. ubi clavis sic pronuntiat Ulpianus: *Que depositis rebus accedunt, non sunt deposita, ut puta, si homo vestitus deponatur; vestis enim non est deposita: nec, si equus cum capistro; nam solus equus depositus est.* cujus rei causa utique alia non est, quam quod contrahentes non intendant petere, vel se obligare ad custodiam eorum, quæ rei sunt accessoria tantum, nisi

& horum specialiter petatur & promittatur custodia.

Rationibus dubitandi sic occurret, *Primæ* quidem distinguendo *Ma.* Depositum est contractus bonæ fidei, ita tamen, ut objectivè, seu quoad rem depositam sit strictæ interpretationis, eò quod præsumendum non sit, depositarium, qui ex re deposita, ejusque custodia in se suscepta, prorsus nullum commodum habet, sed merum onus, obligare se voluisse ad custodienda accessoria. *C. Ma.* ut objectivè spectatum depositum non sit strictæ interpretationis propter dictam rationem, & simul propter l. 1. §. 5. cit. *N. Ma.* In aliis contractibus bonæ fidei, qui cedunt in utriusque, vel saltem accipientis utilitatem, aliter utique sentiendum. *Secundæ* negando *Cons.* Aliud enim est, accessoria debere restitui cum re deposita, & peti posse actione Depositii, si existant, utpote connexa rei depositæ, vel eorum æstimationem, si non amplius existant, propter dolum verum, vel præsumptum seu culpam latam Depositarii; & aliud, accessoria esse verum Depositum ratione sui. Restitutionem eorum exigit tum §. 24. cit. tum Jus Naturale, cum sint res alienæ. *Tertiæ* negando paritatem: quippe Commodatum per se tendit præcisè in utilitatem accipientis

tis seu commodatarii, uti & accessoria rei commodatæ, adeoque rectè pro commodatis habentur: e contra Deposita per se tendit præcisè ac unicè in utilitatem Deponentis, & nullatenus in utilitatem depositarii seu depositum accipientis, sed potius in gravamen propter receptam obligationem custodiendi; adeoque merito non censetur se obligasse ad custodiam eorum, quæ rei depositæ solum accedunt, si specialiter eorum custodia non petatur & promittatur.

Quamvis autem hæc ita se habeant in thesi; in præsentem tamen hypothese videtur mihi non sola domus esse deposita, sed etiam tacita conventionione principaliter supellex & mobilia in eadem existentia, ne nimirum ex his aliquid subtrahi contingat; domus enim per se vix ullâ indiget custodiâ, si ritè clausa alteri commendetur, majori autem custodia opus habent utensilia & supellex domestica, ut salva permaneant, nec inde abstrahantur: ferè sicut, si cista mercibus vel pecuniis repleta deponitur, magis res ipsæ contentæ, quàm continens, censentur esse depositæ, imò, nisi specialiter in contractum veniat cista, res contentæ solummodo rationem Depositi habent juxta

Communem ex l. 1. §. 41. ff. de depositis cum intentio deponentis feratur in ferri unicè censetur in res contentas. Interim quia parùm in effectu interest, quidquid dicatur: sive enim supellex domestica in substrato habuerit rationem veri Depositi, sive non, nihil minus tamen eorum, furto subtrahentium, æstimatio actione Depositi peti potest, si Depositarii dolo vel culpâ latâ, quæ in contractibus dolo æquiparatur, & dicitur esse dolo sumptus, furtum contigit: videtur in hac quæstione non multum videndum esse disceptandum, sed, quia Eustachius Depositarius, meo quidem iudicio, commisit culpam latam, cum domum ex sua incuria reliquit apertam, ut clepacibus hominibus parum erit inimpeditus ingressus, & sic cessavit diligentiam, quam homines, etiam parùm aliàs diligentes, in rebus propriis custodiendis adhibere solent, adeoque damnum Juridicè imputari intulit Marquardo Deponenti, committi in foro externo posse actione Depositi ad illum rescarciendum; cum culpam latam præstare teneatur Depositarius. §. 3. Inst. quib. mod. re committitur oblig. l. 1. §. ult. ff. de depositis l. 1. C. eod.

